

est, per superbiam reprobatus, Domino attestante, qui ait: nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israël? Parvulum se in suis prius oculis viderat, sed fultus temporali potentia, jam se parvulum non videbat. Ceterorum namque comparationi se praeferens, quia plus cunctis poterat, magnum se prae omnibus aestimabat. Miro autem modo cum apud se parvulus, apud Deum magnus; cum vero apud se magnus apparuit, apud Deum parvulus fuit. Plerumque ergo dum ex subjectorum affluentia animus inflatur, in fluxum superbiae ipso potentiae fastigio lenocinante corrumpitur. Quam videlicet potentiam bene regit, qui et tenere illam noverit et impugnare. Bene hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, et scit, cum illa ceteris aequalitate componi. Humana etenim mens plerumque extollitur, etiam cum nulla potestate fulcitur; quanto magis in altum se erigit, cum se ei etiam potestas adjungit? Quam tamen potestatem recte dispensat qui sollicite noverit et sumere ex illa quod adjuvat, et expugnare quod tentat, et aequalem se cum illa ceteris cernere, et tamen se peccantibus zelo ultionis anteferre.

Sed hanc discretionem plenius agnoscimus, si Pastoris primi exempla cernamus. Petrus namque auctore Deo sanctae Ecclesiae principatum tenens, a bene agente Cornelio et sese ei humiliter prosternente, immoderatus venerari recusavit, seque illi similem recognovit, dicens: surge, ne feceris, et ego ipse homo sum. Sed cum Ananiae et Sapphirae culpam reperit, mox quanta potentia super ceteros excrevisset, ostendit. Verbo namque eorum vitam percussit, quam spiritu perscrutante deprehendit: et summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod honore sibi vehementer impenso coram bene agentibus fratribus non agnovit. Illic communionem aequalitatis meruit sanctitatis actionis, hic zelus ultionis jus aperuit potestatis. Paulus bene agentibus fratribus praelatum se esse nesciebat, cum dice-